

## 2

Quid iuuat ornato procedere, uita, capillo  
 et tenuis Coa ueste mouere sinus,  
 aut quid Orontea crinis perfundere murra,  
 teque peregrinis uendere muneribus,  
 naturaeque decus mercato perdere cultu,  
 nec sinere in propriis membra nitere bonis? 5  
 crede mihi, non ulla tuae est medicina figurae:  
 nudus Amor formae non amat artificem.  
 aspice quos summittat humus formosa colores,  
 ut ueniant hederæ sponte sua melius, 10  
 surgat et in solis formosius arbutus antris  
 et sciat indociles currere lymphæ uias.  
 litora natiuis † persuadent † picta lapillis  
 et uolucres nulla dulcius arte canunt.

2. ad cynthiam (ci-) A F : ad cinthiam improperatio nimii  
 cultus P : ad cynthiam amicam V 1 uitta A F<sup>4</sup> : uicta F P (corr.  
 P<sup>2</sup>) : uincta F<sup>3</sup> : uita V<sup>2</sup> in ras. ; cf. *Svennung Cat. Bild. 110sq. de*  
*uocatiuis uita, lux, ψυχῆ, ζωή ad amatam pertinentibus* 7 tua  
 est N A F P, sed cf. *Sh. Bailey 9; de synaloephe cf. u. 17; 1,3,25*  
 8 nullus F (corr. F<sup>4</sup>) : de nudo Amore cf. *Pallad. AP 16,207,1,*  
*Philostr. epist. 12(51),9sq., Ouid. am. 1,10,15* formam  
*Heinsius, fort. recte: cf. enim Val. Fl. 6,465 artificis ... formae*  
*et adde Prop. 2,31,8 artifices ... boues, Pers. 5,40 artificem ...*  
 uultum. Sed codicum lectionem optime defendit 2,1,58 solus  
 Amor morbi non amat artificem 9 quot ζ : quo *Lachmann*  
 10 ut] et ω, corr. cod. Paris. Lat. 7990, prob. *Madvig Aduers. II*  
 63 11-12 et ... et] ut ... ut ζ 13 collucent P<sup>2</sup> : persudant V<sup>3</sup> :  
 pellucent ζ : praelucent *Hertzberg* : praeuolgent *Baehrens* : prae-  
 gaudent *Otto* : pergaudent *Enk* : sua gaudent *Sh. Bailey* : alii  
 alia; tradita defendunt *Vahlen Ges. Phil. Schr. II 110, cuius*  
*sententia picta idem ac se picta esse ualet, et Pasoli Monob. 22,*  
*qui persuadeo pro allicio interpretatur et ad se admiranda simul*  
 audit 14 hic incip. D

non sic Leucippis succendit Castora Phoebe, 15  
 Pollucem cultu non Helaira soror;  
 non, Idae et cupido quondam discordia Phoebo,  
 Eueni patriis filia litoribus;  
 nec Phrygium falso traxit candore maritum  
 auecta externis Hippodamia rotis: 20  
 sed facies aderat nullis obnoxia gemmis,  
 qualis Apelleis est color in tabulis.  
 non illis studium uulgo conquirere amantis:  
 illis ampla satis forma pudicitia.  
 non ego nunc uereor ne sim tibi uilior istis: 25  
 uni si qua placet, culta puella sat est;  
 cum tibi praesertim Phoebus sua carmina donet  
 Aoniamque libens Calliopea lyram,  
 unica nec desit iucundis gratia uerbis,  
 omnia quaeque Venus, quaeque Minerua probat, 30

16 telaria N : tela ira A F : telaira P F<sup>4</sup> : thelaira Δ : ilaira N<sup>2</sup> P<sup>2</sup>;  
*ipse correxi praeunte W. Schulze Quaest. ep. 466sq., qui diluci-*  
*de ostendit apud Propertium legi non posse Hilaira (uide enim*  
*Ἰλάειρα); cf. contra Ἐλάειρα* 17 ida N Δ : yda A F P; corr.  
 N<sup>2</sup> P<sup>2</sup> D<sup>3</sup> V<sup>2</sup> 18 et uenit N : euenit A F P Δ; corr. N<sup>2</sup> F<sup>4</sup> P<sup>2</sup> D<sup>3</sup> V<sup>3</sup>  
 19 non Δ 20 aduecta P Δ (corr. V<sup>2</sup>) 23 uulgo] uultu *Fontein* :  
 fuco *van Eldik* : cultu *Nodell*; sed conquirere idem atque  
 colligere *ualet* (cf. *ThLL IV 355,27sq.*) et uulgo pro omnibus  
 locis *usurpatur* a(c)quirere A F P (corr. F<sup>4</sup>) amittes A :  
 amictes F (corr. F<sup>4</sup>) 24 forma ... ampla A F P 25 post hunc  
*uersum duos uersus excidisse putat Havet* nunc] non N (corr.  
 N<sup>2</sup>); de particula nunc, quae de improviso transitum ad praesen-  
 tem uitae condicionem designat, cf. *Verg. buc. 10,44sq.; Tib.*  
*1,5,35sq.; 1,10,7-13; Leo Kl. Schr. II 32* sis mihi ζ : sis tibi  
*Wehle, fort. recte; cf. enim O. Skutsch ClQ 67 (1973) 316 et uide*  
*contra Lachmann 13, qui distichon, mea sententia, recte inter-*  
*pretatur* 26 culta] una A F P D<sup>2</sup> (corr. F<sup>4</sup> P<sup>2</sup>) 29 ne A F P  
 uerbis] dictis Δ (corr. V<sup>2</sup>); dictis *prob. Housman Class. Pap.*  
*283; mea quidem sententia perspicuum exemplum doctrinae eru-*  
*ditionisque, quas familiae Δ fons in textu immutando adhibuit,*  
*hic habemus; cf. enim Ouid. met. 13,27* neque absit facundis  
 gratia dictis